CHARRIER

F
XIV
8/18

17442/P (P)

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30352587

17442/p

QUÆSTIO MEDICA EAQUE THERAPEUTICA,

PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

HENRICO HAGUENOT

Regis Conſiliario & Medico, nec-non in almâ Monſpelienſium Medicorum Academia Profeſſore Regio digniſſimo, Patris Coadjutore,

SUB HAC VERBORUM SERIE

AN ARTHRITIDI ALTERANTIA,

Pro prima Apollinari Laurea conſequenda,

Quam Deo favente, & auſpice Dei Parâ, in auguſtiſſimo Monſpelienſi Apollinis Fano, die   menſis Decembris anni 1716. ab hora octava ad meridiem, propugnabit M. FRANCISCUS CHARRIER Legeenſis apud Pictones, Artium Liber. Magiſter, & Univerſitatis Conſiliarius.

MONSPELII,
Apud VIDUAM HONORATI PECH, Regis & Univerſitatis Typogr.
M. D C C. X V I.

DISPUTATURI.

PROFESSORES REGII.

R. D. FRANCISCUS CHICOYNEAU, Cancellarius & Judex.

R. D. JOANNES BEZAC, Decanus.

R. D. PETRUS CHIRAC, Sereniſſimi Principis Regentis Archiater.

R. D. ANTONIUS DEIDIER.

R. D. PETRUS RIDEUX.

R. D. ANTONIUS MAGNOL.

R. D. JACOBUS CHASTELAIN.

R. D. JOANNES-HENRICUS HAGUENOT.

DOCTORES ORDINARII.

M. Jacobus Lazerme.

M. Antonius Fizes.

M. Joannes Pitot.


BRODV·FECIT

ILLUSTRISSIMO

AC POTENTISSIMO VIRO

D. D. LUDOVICO NICOLAO

DE NEUVILLE,

DUCI DE VILLEROY ET DE BEAUPREAU,

DUCI ET PARI FRANCIÆ,

PRÆTORIANÆ LEGIONIS PRÆFECTO,

REGIORUM ORDINUM EQUITI,

Lugduni, ejuſdem Præfecturæ, Comitatûs Forenſis, ac Baujovienſis Tractûs

GUBERNATORI.

INgenii mei tenellum & adhùc in cunis vagientem fœtum Tibi offero, ILLUSTRISSIME DUX, ut, cùm natus ſim Tibi Cliens, primi partûs mei velis eſſe Suſceptor ac Patronus. Huic ſi benevolentia tua affulſerit, certum eſt fore, ut hinc mihi animus ad majorem ala-

critatem erigatur, majoremque ſtudiorum meorum ſpem concipiam. Non leves ſunt velitationes, ſed graviſſima certamina, quibus me jam expono in Medicinali Palæſtrâ Monſpelienſi. Me ſeptemdecim variis exercitationibus probaturi ſunt Profeſſores ſcientiſſimi & acutiſſimi; quid dico, probaturi? tentaturi ſunt, totis viribus oppugnaturi, & oportet omninò ut me telis eorum præbeam impervium, quò merear Lauream Doctoratûs. Unde igitur tantus mihi animus, niſi blanda excitet me cogitatio gratas Tibi fore has meas concertationes, quarum ſpecimen primum Celſitudini Tuæ voveo? Annuas, obteſtor, voto; cœptis faveas, MAGNANIME DOMINE, & de victoriâ certus ſum. Quid de tuâ benignitate, de favore tuo, de protectione tuâ dubitem? cùm gentilitium Tibi ſit, ac Tibi maximè proprium, fovere Clientes; cùm tantis Honoribus & Dignitatibus præfulgere atque pollere non videaris, niſi ut beneficia in omnes diffundas, iiſque Clientes tuos cumules. Hoc feliciter experiuntur, quicumque Ditionis tuæ ſunt; horum ſtrenuos in militiâ promoves, probos amplecteris, accendis induſtrios; fortunis omnium ſervandis & amplificandis invigilas. O felicem me! qui ſub Ditione tuâ natus ſim & educatus: Enitar pro virili, ut Clientelæ tuæ, ut favoris tui immerens eſſe non videar. Vivas diù, POTENTISSIME DOMINE, tibi ac Tuis. Salus tua, Proſperitas tua, noſtra eſt felicitas, noſtra ſalus.

CELSITUDINIS TUÆ,

Cliens obſervantiſſimus & obſequentiſſimus
FRANCISCUS CHARRIER
Legeenſis apud Pictones.

QUÆSTIO MEDICA EAQUE THERAPEUTICA,

AN

ARTHRITIDI ALTERANTIA.

QUANDOQUIDEM inter varios morbos, qui genus humanum infeſtant, nullus pervicaciùs & crudeliùs illud torquet, quàm Arthritis, in hâc præ cæteris in primi mei tentaminis agone me erudiendum cenſui, idque in Lyceo Monſpelienſium, in quo tam ſtrenua fit Profeſſorum doctiſſimorum inter propugnandum & expugnandum contentio, ut inde genuina omnium affectuum cauſa eruatur, & ſalutaris illos curandi methodus ſeligatur, neceſſe eſt.

Arthritis eſt periodicus ad oſſium commiſſuras dolor.

In membranoſis ligamentis, perioſteis & tendinibus domicilium ſibi deligit.

Dividitur in vagam & fixam, univerſalem & particularem, hereditariam & adventitiam, recentem & inveteratam, frigidam & calidam, brevem & chronicam, continuam & intermittentem,

pandemiam & ſporadicam; prior in Epidemiam, & Endemiam ſubdividi poteſt.

Pro variis ſedibus, varia ſortitur nomina. In pedibus podagra, in genibus gonagra, in manibus chiragra, in coxarum, & femorum articulis iſchias dici conſuevit: alibi, juxta Veteres, nomen genericum retinet. Pareus tamen Chirurgus, vir inter recentiores eruditiſſimus, diſtinctionis ergo, in maxillarum juncturis ſiagonagram, in cervicis tracholagram, in clavicularum cleiſagram, in ſpinæ dorſi rachiſagram, in humeris homagram, in cubito pechiagram appellandam maluit.

Quamvis à limine Theſeos, in veras Arthritidis cauſas inquirere, eaſque evolvere; id ſi ſuperis placeret; potiuſquàm Veterum & Neotericorum (qui in pluribus verbo tenus, non autem re diſcrepant) placitis ſigillatìm recenſendis atque refutandis immorari animus non ſit. Sicco tamen pede ſingulorum opiniones præterire, piaculum fore duxi.

Omnes pauciſſimis exceptis fatentur ingenuè, legitimum hujus mali parentem eſſe humorem quemdam ſimplicem, vel mixtum, qui è maſſâ ſanguineâ remotè vel proximè in laudatas ſedes irruit, earum compagem pro diversâ ſuâ quantitate, qualitate ac mixtura, diverſis modis adoritur: Verùm determinare hunc humorem, ejus ſcaturiginem, & vias quibus ad articulos confluit, hoc opus, hic labor eſt: nos verò ut aliquid luminis ſententiæ, quam amplexuri ſumus, fœnoremus, omnium oculis ſubjiciendum judicavimus ſatis compertum eſſe induſtriâ, ac labore ſagaciſſimorum Scotorum & Anglorum, ligamenta, tendines, ſicut & membranas muſculorum communes, paſſim pertuſa eſſe glandulis ſecretioni peculiaris humoris, mucilago audit, deſtinatis.

Si quis ſollicitus, percontetur, quæ peregrina ſit iſta mucilago, ipſi hactenùs inaudita, impromptu eſt reſponſum, non eſſe peregrinam, ſed microcoſmi indigenam, quæ ipſi inſignes præſtat uſus; inſtrumenta enim motus irrigat & lubricat, illorum villos illinit, artus ad munia ſua obeunda dociles, & habiles reddit, ſive contrahendi, ſive relaxandi, ſive flectendi, ſive diſtendendi, aut quovis alio ritu movendi ſint; inſuper oſſium extremitates à mutui affrictus injuriis præſervat, idem transferatur ad fibras muſculorum motrices, imò & ad ipſos tendines, ubi per cavitates oſſeas capita versùs adducendi, vel ab iiſdem reducendi ſunt,

Illibatam mucilaginem, tanquam genuinam Arthritici doloris cauſam aſſignare, non minùs à ratione abhorret, quàm aſſerere ſingulos homines, in ſtatu naturali conſtitutos, pluribus aut potioribus paſſionis articularis gradibus continuò affligi, ſi igitur quandoque jure inſimulanda eſt, acrimoniam, acorem, ſalſedinem, aliaſve qualitates ſenſoriis tactus infeſtas contrahit, priuſquam in illa, pungendo, vellicando, lancinando, mordendo, diſtendendo, vel quovis alio pacto deſœviat; eam in propriis conceptaculis & meatibus, putà, in acinis glanduloſis & vaſis ſecretoriis, cavitatibus articulorum, imò, & vaſis ſanguiferis alterari, depravari, ſeu è ſuâ nativâ indole degenerare, nullatenùs dubii ſtatuimus; ſed extremis oſſibus, aut ligamentis cartilagineis ipſis interjectis doloris ſenſum inducere negamus, oſſa enim ſicut & iſta vincula, nullo ſunt ſenſu prædita.

Mucoſus ille ſuccus, plus æquo tenuior & acrior factus, hæterogeneis particulis permiſtus, in ſuis receptaculis efferveſcit & expanditur, compreſſiſque vaſis anguſtioribus, ſanguinis curſum ſiſtit. Ex his phlogoſis, dolor tenſivus, acutus & deurens, qui præ tenuitate prædicti ſucci brevi tollitur, & locum mutat, non eſt tamen exiſtimandum, eandem numero materiam, quæ determinatam partem infeſtat, ad aliam migrare, ſed potiùs interiùs, vel exteriùs diſcuti.

Si ſuccus ille diatheſim ſalſam nanciſcatur, mediocrem conſiſtentiam acquirit, nec ita facilè è ſuis laribus expellitur, punctionis & lancinationis ſenſationem excitat; demùm ſi acido corroſivam, quod non raró evenit, indolem obtineat, in grumos faceſcit, hæret in glandulis & vaſis excretoriis, ea diſtendit, tubulos ſanguiferos in vicinio comprimit, ſerum acido corroſivum dimittit, quod fibras ſenſibiles pungit, exedit & mordet, unde dolor intolerabilis, tumor & phlogoſis: quòd ſi ſanguis reſpectivè ſtagnans, ſerum ſpiculis ſalinis horridum deponat, ad cruciatûs ſymbolum confert, illud majori quantitate affuſum partes relaxat, tumorem œdematoſum progignit, atque adeò dolorem imminuit, vel profligat, eòque magis, quò inſultiùs eſt.

Paſſio Arthritica, quæ ab acidis vel auſteris mucilagini admiſtis ortum habet, valdè pervicax eſt, quippe gelatina adeò concreta eſt, ut vix reſolvi & diſcuti queat: affectus quandoque ultra ſex vel ſeptem menſes extenditur, & ſingulis ſaltem noc-

tibus ingraveſcit, & adventante die remittit, aut torminum inducias dat, in hoc caſu chronicus ex pluribus paroxiſmis brevibus ſibi ſeriatìm ſuccedentibus componitur, quod præ cæteris diligenter obſervavit Sydenhamus practicus eximius.

Noſtræ conjecturæ ratio confirmari videtur, eò quod frigus externum ſæpiſſimè paroxiſmis Arthriticis anſam præbeat. Rigente enim hieme ſæpiſſimè ingruit, & perſeverat ad multam æſtatem, aër frigidus corpuſculis ſuis frigoriferis maſſam humoralem figit, proindeque inſpiſſat mucilaginem, ipſique acorem tribuit, motu ſuo directo corporis & humorum calorem imminuit, & præ quiete reſpectivâ magnam corporis habitus caloris partem in ſe recipit, ſicque hunc obtundit, nitrum craſſius, per tracheam & bronchia, unà cum aëre irrumpit in veſiculas pulmonares, per earumdem & vaſorum ſanguiferorum ſpiracula in liquorem vitalem irrepit, eum alterat & ſubigit, variaque incommoda, pro diſpoſitione partium affert. Nitrum aëreum à ſcholis, & chymia relegare, hæreſis eſt in phyſicâ apud Septentrionales. Conſtipatis poris, materia inſenſibilis tranſpirationis cohibetur in corpore, maſſam ſanguineam adauget & inficit.

Sanguis moram nectens, & fermenteſcens, ruborem articulis partibuſque circumjectis conciliat, attamen in pus non convertitur, quia è ſuis clauſtris non erumpit, mucilago ſuppurationi non eſt idonea, vel in totum reſolvitur & exhalat, vel in tophos aut lapillos indureſcit. Non eſt quod altiùs inveſtigemus, quî tophi exhauſto ſero ex ſalibus multigenis, moleculis terrenis, ſtaminibus ſulphureis, & paucillo aquæ, pro omnium ſuperficierum congruitate compingantur.

Febris præcedit Arthritidem, unà cum ipſa invadit, vel eam ſubſequitur: quæ ipſam præcedit, natales debet particulis mole, figurâ, pororum ordine, atque amplitudine diſcrepantibus, quæ vel in ſanguinis ſinu producuntur, vel aliunde ut à primis viis aut aëre ipſis ſuppeditantur. Arthritis quæ unà cum ipſa invadit, ab eâdem causâ, cujus jamjam meminerimus, exoritur. Quæ ipſam ſubſequitur, à copioſo ſpirituum in partes affluxu, à vehementi eorumdem refluxu, propter irritationem, quæ fit à materiâ dolorificâ in partibus afflictis, vel omninò, vel partim dependere poteſt. Materias extricatas in ſanguinis ſinu ad febrem contribuere nihil vetat. Horror & rigor, anxietas, nauſea, ructus acidi,

inappetentia

inappetentia, cardialgia, adſtrictio alvi, exceſſus in cibo & potu, uſus alimentorum crudorum & frigidorum, effectus remediorum quæ ſtomachum corroborant, intermiſſio & recurſus paroxiſmorum, materiam morbificam à primis viis perſæpè ſuggeri ſatis ſuperque ſuadent.

Relaxatis à ſeroſo latice ligamentis, non eſt arduum eruere, cur extrema oſſium è ſuis cavitatibus excidant, & in eaſdem reſtituta facilè ex iis relabantur: materias tartareas, gipſeas, cretaceas, minerales, aliaſque in articulorum cavis concretas, nonnulla oſſa de ſuis ſedibus interdum removere & prohibere quominùs in ea reſtituantur, aſſerimus.

Luxatis & diſtortis oſſibus, claudicatio ſupervenit, proritatis nervis proſpicientibus ſuris, natibus, partibuſque ſuperioribus, longè latèque protenditur dolor iſchiadicus, propter ſedis profunditatem nullus apparet tumor, nulla tamen Arthritis à tumore ſenſibili vel inſenſibili eſt immunis.

Tanta eſt analogia materiæ calculos producentis, cum ea quæ tophos parit, ut qui his, illis quoque, & vice verſâ obnoxii ſint, nonnunquam utrique diris modis eoſdem ſimul excruciant, aliquando inhibito materiæ calculoſæ in renes excurſu affatim irruit in articulos, paroxiſmum redintegrat, vel exaſperat, item feriante articulorum tortore recurrit, vel ingraveſcit nephritis. Cauſa quæ concretiones tophaceas gignit, tubercula aſthmatica inducere apta nata eſt, fateſcentibus viribus, ſub pondere gemit natura, aut materiâ morbificâ ab abſtringentibus repulſum paſsâ, pulmones, cerebrum, aliaque viſcera nobiliora pœnas luunt, carus, coma, aliique graves affectus ſoboleſcunt.

Omnes Arthritici non convelluntur, eò quòd tam fortiter, & tam latè percellantur fibræ partium affectarum, ut indè refluxus validiores, ac confertiores ad emporium fiant, indeque ipſius fibræ, quam latè patent, exagitentur, ipſiuſque incolæ quaſi æqualiter ad muſculos totius corporis accurrant, ſi nonnunquam ſpaſmis aut motibus ſpaſmodicis corripiantur Arthritici, non ſemper in inæqualem ſpirituoſi laticis diſtributionem, ſed quandoque in inæqualem copulæ exploſivæ, quæ certis quibuſdam muſculis ſubminiſtratur, craſſitudinem, & hæterogeneitatem referendi ſunt.

In omni Arthritide non eſt Rheumatiſmus, nec vice verſâ, aliquando tamen utraque eoſdem immaniter contorquent, quod re-

petendum eſt à diſpoſitione partium, v. g. flacciditate, anguſtiâ, aut debilitate, cauſiſque externis, nec-non indole materiæ morbificæ, quâ fit improportionata incerniculis articulorum vel muſculorum ſolùmmodo, vel utriſque accommodata. Ex dictis ſatis patet cur unus articulus præ alio affligetur.

Si verum eſt, quod minimè puto, Arthritidem plerumque in pollice pedis tragœdiam ſuam incipere, ratio eſt, quod pars illa remotior ſit à caloris fontibus, fulciendo, & ſuſtentando corpus magis exerceatur, & difficiliùs ſanguis ab eo revehatur versùs ſcaturiginem, quàm ab aliis partibus, indèque lentiùs progrediatur, & peccantes humores eo loci faciliùs deponat.

Suppoſito quod tendines inſervientes flexioni, aut diſtenſioni partium mobilium circa ipſas poſitarum, effuſo in eorum contextum ſero, relaxentur ex uno latere, antagoniſtæ ipſis virtute præpollent, atque adeò mutato ſitu, & figurâ naturali incurvantur partes, & incurvatæ perſiſtunt. Tophi ex uno vel altero latere, vel ex utroque ad partium immobilitatem contribuunt.

Durante paroxiſmo, ægri poſitum membrorum, ſi commodus ſit, fixum affectant, illa enim nequeunt moveri motu proprio, quin muſculi contrahantur, tendines attrahantur, & ingeminetur dolor, imò ſi motu communi à causâ internâ vel externâ cieantur, exacerbatur dolor.

Flacceſcentibus ligamentis & tendinibus à causâ jam allata, peracto paroxiſmo, aliquandiù partes ſunt inhabiles ad eliciendos motus, ſaltem vegetos, interdùm ſtupore quodam, aut paraliſi afficiuntur, quoniam ſero ſaginantur, aut ſuggillantur, & conſtrictis nervorum canaliculis, ſpiritus ſolita copia illos irradiare nequeunt. Qui rariſſimè fiunt abſceſſus in articulationibus progenies ſunt ſanguinis extravaſati hærentis & fermenteſcentis in partium ſubſtantiâ.

Ex præmiſſis manifeſtum eſt, nos cauſam proximam doloris Arthritici, prout ſe tenet ex parte articulorum, non aſſignaſſe mucilaginem puram, & putam, ſed variis ſalibus (de quibus ſuprà compendioſiùs fortè quàm par eſt) aliiſque humoribus prægnantem, ſub quibus comprehendimus bilem flavam, exaltatam, aduſtam, aliaſque ejus ſpecies ad quamdam volatilitatem perductas, fermentum ſalivale, ſtomachale, pancreaticum & inteſtinale, alioſque varios ſuccos ab innatâ indole degeneres. Serum limpidum & ſincerum non eſt redarguendum, partes enim emollit,

ſenſumque imminuit, exulet à nobis pituita ſimpliciter craſſa, viſcida & frigida, quæ, ſi quem, obtuſum inferret ſenſum. Multis rationum momentis convellatur opinio Fernelii, qui decrevit humorem pituitoſum, & ſeroſum ab externis capitis partibus ſub cute decurrere in articulos, ibique in tendinibus & ligamentis oſſa exteriùs connectentibus congeri, congeſtumque omnia Arthritidis ſymptomata invehere, nulla via pateſcit ſub cute tali humori, ingruente Arthritide non ſunt capitis gravitas, dolor externus, qui contactu, præſertim inverſis capillis exacuitur, nec tumor œdematoſus ad occipitium, ut vult prædictus Auctor; abſque fundamento aſſeverat illum humorem à capite ad pedis pollicem intermediis articulis illæſis depluere; in curatione ſibi non conſtat, capiti enim aut collo remedia applicanda non judicavit.

Procul abſcedat ſententia Williſii, qui ſomniavit geminos liquores, nerveum ſcilicet à nativâ indole in fluorem acidum degenerem cum alkalino in articulis quaſi in minera recondito concurrere, & tumultuari, & cruciatus; aliaque Arthritidis ſymptomata ſucceſſu temporis inferre. Liquor enim ille ideas enormes ſeu inordinatas ſuâ anomaliâ excitaret, atque adeò deliramenta. Accedit quòd quoties eſſet Rheumatiſmus, toties motibus ſpaſmodicis agitarentur, aut ſpaſmis contraherentur muſculi, quod experientiæ adverſatur; Tachenii pugiles, Paracelſi ſynoviam, Sylvii triumviratum, Sydenhami in univerſis corporis ſuccis concoctionem depravatam, ſcabra Cartheſii cuſpidibus & aciebus munita corpuſcula, æqui bonique conſulimus. Stomachi errores, acidum ſynoviam coagulans, archeum laceſſentem, calciformes, cretaceas, & tartareas fœculentias, cum Helmontio quandoque accuſamus.

Minimè nobis arridet ſententia Wilhelmi Ten Rhyne autumantis Arthritidem conſiſtere in parvo plerumque inviſibili, atque intrinſecè deliteſcente tumore, ex ſicco, frigido & maligno orto flatu, perioſtia ab oſſibus divellente; quippe ſi Arthritis ab hujuſmodi flatu penderet, non ita pervicaciter carminantibus reſiſteret. Quæcumque paſſionem Arthriticam primario & proximè invehunt, per extrema arteriarum ad articulos unâ cum mucilagine proripi, & in hujus colis ſecerni arbitramur.

Cauſæ remotæ ſunt res non naturales, præ cæteris uſus ciborum dyſpeptorum, imò & eupeptorum, ſi majori quàm par eſt

quantitate ingerantur, ſalſorum & aromatis conditorum, corruptelæ obnoxiorum, ut fructuum immaturorum, eſculentorum varietas, ingurgitatio frequens, vini aliorumque liquorum, præſertim acidorum, acriorum, atque tartareorum compotatio, effuſa venus; vita nimis otioſa (Arthritis namque Bacchi, Veneris & otii proles eſt) exercitia immodica, à conſuetis ceſſatio, frigus intempeſtivè ſuſceptum, evacuationum ſalutarium ſuppreſſio, caſus, ictus, luxatio vehementiora, ac remitiora animi pathemata, ut ira, mœror & triſtitia, aliaque bene multa, quæ ſigillatim recenſere tædio foret.

DIAGNOSIS.

Imminentem Arthritidem indicant torpor in articulis, formicationis ſenſus ſolito exquiſitior, læſio à cauſa leviſſima, aliqualis ardor & rubor, modo cum, modo ſine tumore & febre, nec-non ſubinde eorumdem omnium vel plurium ſignorum recurſus; Arthritis præſens eſt ſui ipſius & ſedis index, in rebus internis nulla eſt regula certitudinis præter experientiam: ſi ex quo, maximè ex temperamento, prægreſſis & præſentibus diſcernuntur ejus cauſæ.

PROGNOSIS.

Arthritis eſt morbus chronicus: quæ ab humoribus mobilioribus & rareſcentibus, in quâ perſentitur rubor & calor deurens, procedit, curatu facilior eſt, eâ quæ craſſioribus acidiſque onuſtis, in quâ dolor mordicans, & elevatio partium, cum rubore & dolore ſe manifeſtant. Hereditaria adventitiâ difficiliùs curationem admittit; prioris, ſive diſpoſitio hereditaria in menſtruo quodam, ſive in partium articulis adjacentium vitio conſiſtat, in actum ſemel deductæ vix aut nunquam penitùs effectus declinantur. Optimo tamen regimine, convenientibuſque remediis omninò præcaveri, mitiores, breviores, ac rariores poſſunt fieri paroxiſmi. Licet Iſchias nulli Arthritidi in atrocitate cedat, longèque dolores diffundat, non adeò difficulter ut plurimùm perſanatur ac reliquæ Arthritides, propterea quòd cauſis externis natales atteſtetur. Quotieſcumque extremitas femoris, relaxatis ligamentis, quibus connectitur Coxendici, è ſuo acetabulo excidit, reſtituta in ſuum locum eò cohiberi non poteſt ſine aduſtione, item ſi mucilago in tophum concreverit in cavitate, nunquam totam ſuam ſedem recuperare poteſt, urina copioſa & turbulenta bonum eſt omen, parcior verò, tenuis & limpida malum;

lum, item ſi debilitatis naturæ viribus peccantes humores ad articulos protrudi nequeant. Tunc enim in viſcera nobiliora pulmones, putà, & cerebrum tyrannidem ſuam exercent, catarrhos, aſthma, carum, coma ſomnolentum, lethargum, alioſque graviſſimos affectus accerſunt, quò plura & ſæviora ſymptomata dejectis viribus urgent, eò magis periculum inſtat, fluxus hæmorrhoidalis & catameniorum ſupervenientes ſæpè morbum ſolvunt, diarrhæa & dyſenteria materiam morbificam à ſanguine arcent, interdum cum melioribus ægri rebus, quæ ætate florida ſe prodit, crudeliùs reliquo vitæ decurſu ægros diſtorquet, quam quæ in ſenectute invadit; in junioribus, quàm in ſenioribus faciliùs curatur, ſcorbuticos & cacochimicos pervicaciùs occupat, erga femellas mitiùs ſe gerit, quàm erga mares; ubi tophi conſurgunt, immedicabilis eſt morbus juxta illud vulgatum:

Tollere nodoſam neſcit Medicina podagram.

CVRATIO.

Ad præcavendam Arthritidem, quæ nondùm ſui ſpecimina præbuit, ſed quæ veriſimiliter futura eſt, propter vitium à parentibus contractum, vel quæ nuper aut jampridem ingruit, & inducias aliquandiù dedit, apprimè conveniunt menſa frugalis, cibi optimi ſucci faciliſque digeſtionis, quales conficiuntur ex carne vitulorum, vervecum, agnorum, ex gallinis domeſticis, ex gallis & gallinis affricanis junioribus, pullis gallinaceis, atque pavoninis, perdicibus, phaſianis, attagenibus, columbis, gallinaginibus, turturibus, miliariis, palumbis ac turdis. Moderatus vini tenuioris ac diuretici nec-non antipodagrici ex præſcripto paracelſi potus. Juſcula vegetabilium radicibus, foliis, corticibus, floribus & ſeminibus, rheo electo, croco martis, aliiſque ſtomachicis & abſorbentibus alterata. Diæta lactis, ni hoc in ventriculo aceſcat, tubera hybernica diaphoretica. Panis ritè fermentatus, probè ſubactus, poris ubique dehiſcens, aliquantulum tenuioris furfuris in ſe recondens, venæ ſectio ſi adſit plethora, præmiſſo clyſtere emolliente, refrigerante & leviter purgante, emetica & cathartica, vel emetico-cathartica pro ſaburra primarum viarum, ineunte vere & autumno aliiſque temporibus, modicæ corporis & animi exercitationes, ſomnus mediocris, aër ſerenus, purus & temperatus, excretio ſuperfluorum,

& ſalubrium retentio. Inter cætera miros præſtat effectus remedium à Viro Illuſtriſſimo D. de Baſville, Occitaniæ Præfecto, charitatis zelo publici juris factum. Abſtinendum à venere & vino meraci, & quocumque alio quod exprimitur ex uvis quæ nutriuntur ſucco terræ argilloſæ ac calce refertæ, à liquoribus qui ex fructibus & granis in conſimili terrâ enutritis proliciuntur, ab aquis nivalibus, turbidis, ſtagnantibus, & omnibus quæ è ſolo calciformi & cretaceo emanant, vel in eo occurrunt, imò & ab ipſo pane qui compingitur ex polline granorum, quæ talis fundi naturam redolent. Aër nitroſus, frigidus, humidus, craſſus, nebuloſus ac pluvioſus, non rarò paroxiſmis Arthriticis occaſionem præbet, quiſquis hæc obſervaverit juxtà rationis normam, & ſapientis Medici prudentiam, antevertet Arthritidem, prorogabit ipſius inſultus, eos breviores & mitiores reddet; ſi adſit vaſorum plenitudo, & Arthritidis imminentis ſigna præceſſerint, phlebotomia celebranda, imò paroxiſmo ingruente, ſi ratio eam poſtulet, & materiæ in primis viis, quæ morbum fovent, contentæ ſuperiùs & inferiùs eliminandæ, (quidquid in contrarium dicant magni nominis Medici;) Conſervandæ ſunt ſemper vires, quæ requiruntur ad criticam & ſalutarem evacuationem emoliendam & perficiendam, ne cauſa morbifica in ſanguine cohibita, in nobiliores partes impetum faciat, & morbos longè graviores pariat: abſtinentiâ nihil ſalutarius, hordeaceis, orizatis & avenaceis cremoribus, aut juſculis radicibus cariophillatæ, foliis ſalviæ, ivæ arthriticæ, roriſmarini & urticæ, aliiſque multis pro ægrotantis conſtitutione temperatis veſcendi ſunt ægri. Ad compeſcendum humorum & ſpirituum motum, quietem & tranquillitatem conciliandam, narcotica & hypnotica interiùs aſſumpta conducunt, parciùs tamen prioribus utendum. Sero lactis pomis regiis & ovorum albuminibus depurato, pro potu ordinario nihil ſalutarius, tempore paſtûs concedendum eſt tantulùm vini generoſi, multâ aquâ diluti, hauſtus vini alanenſis, referente Sydenhamo Medico ſummæ ſinceritatis, qui pluribus annis Arthritide laborabat, ad mitigandos cruciatus plurimùm prodeſt, item cataplaſma ex micâ panis, topica repellentia, reſolventia, diſcutientia, atque multa anodina, quamvis dolorem ſopiant ſuſpecta habentur, experientia docet quòd etiamſi tormina ſublevent, eorum abuſu partes nobiliores afflictantur, multi-

plicatur Arthritis vel membra ad motum minùs habilia evadunt, emulſiones julepi aliaque bene multa pro humorum intemperie præſcribenda : proſcribendus eſt uſus horum omnium quæ in præcavenda Arthritide ablegavimus, alternis diebus ſi alvus ſit aſtricta, lubricanda eſt ; ſi materia mucilaginem inficiens ſit acris atque inepta ad illam incraſſandam, licet diaphoretica ante declinationem morbi malè audiant, temperata tamen, qualia ſunt pulvis ex variis conchis compoſitus, antimonium diaphoreticum, decoctum ſalſæ-parillæ, non ſolùm tutò, ſed etiam cum euphoria exhibentur. Hìc locum habet tinctura roſarum, quæ in ſpiſsâ ſanguinis & mucilaginis diatheſi, ad magnum ægrorum damnum uſurpatur : ſi materies mucilaginem labefactans ſit ſalſa, propter analogiam, quam habet cum inſenſibili tranſpiratione, per glandulas cutaneas expelli poteſt. Experientiâ magiſtrâ ſecuriùs per renes deturbatur, fructus cynosbachi in hoc caſu ſpecificum cenſetur, alkalina fixa aquoſis diluenda, & acidis corrigenda ſunt ; ſi mucilago acidis fixis ſcateat, tantùm abeſt ut plerumque proſint diaphoretica, quinimò noceant, illa igitur præparetur & fundatur, ſpiritus ſalis armoniaci ad hoc plurimùm confert, ſal tartari mucilaginem coagulatam diſſolvit, & acida cicurat ; corallia & teſtacea abſorbendo proſunt, quò natura vergit eò Medicus tendere debet, ſi cauſa ſit ſcorbutica antiſcorbutica, ſi venerea antivenerea in ſubſidium advocanda, remittente dolore & febre purgantia lenia ex rheo electo, manna, caſſia propinanda, cæteris non proficientibus, aquæ thermales in conſtitutione ſanguinis craſſa, frigida, acidulæ verò in acri ejus diatheſi ſummæ ſunt virtutis. Balnea aquæ marinæ articulos roborant, humorum fluxum impediunt, atque adeò dolores leniunt, aut tollunt, præſertìm in obeſis & frigidis ; ſi cauſa morbifica in pulmones irruat, eo modo ſuccurrendum, quo in pari illorum affectu : ſi in inteſtina ſæviat, vino jamjam laudato & diaphoreticis nihil tutiùs. In iſchiade cucurbitulæ admodùm calidæ applicandæ & ferrum acutum altiùs adigendum, quò materies profundiùs deliteſcens foras erumpat, varia emplaſtra, inter quæ commendatur burgundicum, non ſine emolumento applicanda, continuanda, & pro neceſſitate reiteranda ; ſunt qui certò certiùs affirmant ſe perſanaſſe tophos recentes, eorumque cruciatus, emplaſtro vitrioli romani, aluminis rochæ, ſalis pulverisati, farinæ hordei, fœcum-

que vini, & inveteratos emplaſtro ex mercurio ſublim. arſenic. & aquâ forti, quibus utpote Medicis cordatiſſimis fides adhibenda. Tandem cùm Arthritis diverſæ ſit indolis, non ſolùm in diverſis, verùm etiam in iiſdem ſubjectis pro diverſo tempore & vivendi ratione, ac alterantia valeant ipſius cauſam, tùm in propriis mineris, tùm in ipſis articulis corrigere & edomare.

Jure concludo.

Ergo ARTHRITIDI ALTERANTIA.